CLEMENS PP. VIII.

35

1110 Carissime in Christo filio noster salutem et Apostolicam benedictionem. Vera narrat Maiestas tua de Venerabilis fratris Hipatij Episcopi Vlodimiriensis Rutheni, insigni pietate, et pastorali uigilantia, et pro quodam ac feruenti zelo, salutaris illius Vnionis conseruandæ, ac propagandæ, quæ Spiritu Sancto auctore, tanta cum tua et nostra, bonorumq; omnium spirituali uoluptate conciliata est, multa etiam cum ipsius Hipatij laude, quem nos amamus plurimum et complectimur in visceribus caritatis Christi. itaq; probauimus ualde consilium Maiestatis tuæ, ut is Metropolitanæ Ecclesiæ Chiouiensi nationis eiusdem Rutenæ, quæ Ecclesia sui pastoris solatio orbata est, nostra Apostolica auctoritate præficiatur, quod iam multo antea esset effectum, nisi ea ut nosti deliberatio moram attulisset, quemadmodum Episcopo consuleretur, ne ex diuissione prioris Ecclesiæ nimium detrimentum pateretur, et ut loci ac muneris Archiepiscopalis dignitatem decenter sustinere posset. nunc autem libenter audiuimus placuisse eam rationem, ut certa annua pensio super fructibus prioris Ecclesiæ ei reseruetur, atq; ita ad Metropolitanam transferatur, quod certe nobis gratum accidit, quamq; si is modus non successisset, alia etiam non defuisset uia, qua ad id quod cupiebamus peruenireturur. pro nostra enim erga Maiestatem tuam et Episcopum ipsum propensa uoluntate ualde expetebamus, quidquid impedimenti remouere, ut primum Ecclesiæ tam idoneus, et benemeritus Archiepiscopus præfiatur. nunc ergo benedicente Domino negotium huius profectionis promoueri, et quam breuissime fieri potest, ex tuæ Maiestatis desiderio expediri mandabimus. nihil est autem cur tarditatem respondendi geminis literis tuis excusemus, quas superiori Augustorense ad nos hac de re dedisti, causam enim planiores et prius. hac autem oblata occasione, Hipatium ipsum Episcopum, et ceteros, et totius sanctæ unionis causam Maiestati tuæ enixe commendamus. Tibi fili carissime in mo quo solemus amoris affectu, omnem a Deo optimo felicitatem precamur, et paternam atq; Apostolicam benedictionem nostram toto ex animo impetimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die V. Februarij Anno Iubilei M.D.C. Pontificatus Nri Anno Octauo.

Siuius Antonianus Secr.

36

Dat. 5 Februar. 1600

Carissimo in Christo filio nro Sigismundo
Polonie et Suecie Regi Illustri:~

De Summi Pontificis Clementis VIII. Sanctissimi Domini nostri Gratiosa Commendatione, ad Metropolitanum Leopolitanum.